

AD ACTVM ORATORIVM,
 MVSÆ ANNÆ BERGENSES
 INDVLGENTISSIMÆ QVONDAM
 PATRIÆ MATRÌ
CHRISTIANÆ
EBERHARDINÆ,
 REGINÆ POLONIARVM
 & ELECTRICI SAXONIÆ
 RELIQVA
 NONIS SEPTEMBRBVS HVJVS ANNI EHEV!
 DEFVNCTÆ
 JVSTA PERSOLVENT,
INSPECTORES SCHOLÆ
GRAVISSIMOS
 ET
 OMNES REI NOSTRÆ SCHOLASTICÆ
 BENE CVPIENTES
 HÆC PAVCULA
 DE ANNO MDLIX. ET TEMPORE EIDEM PROXIMO OB CONTINVATA PRINCIPVM
 VIRORVM ET FOEMINARVM FVNERA MEMORABILI
 PRÆFATVS
*QVA PAR EST OBSERVANTIA ET HVMANITATE
 INVITAT*
M. JOH. FRIEDLIEB STVBELIUS,
 RECTOR,

ANNÆ BERGÆ,
 TYPIS AVGUSTI VALENTINI FRISI.



Cum rursus prelo aliquid subjiciendum esset, quo allicerentur audituri nostros, in mentem primum venit, omnes illos annos enumerare, quoscumque frequentiores Principum personarum mortes proximis abhinc seculis memorabiles atque funestos fecerunt. At pene tuit statim hujus consilii, ubi perspecto apparatu meo intellexi, ea rerum dicendarum me obrui mole, ut exitum vix reperire liceret. Proinde satius duxi contrahere vela, & unum ex omnibus maxime notabilem perlustrandum sumere. Atque hic sponte sese mihi obtulit Annus post partum Virginis generi humano salutarem millesimus quingentesimus quinquagesimus nonus, qui solus fecit, ut reliquorum facile oblivisceret. Nam quoad longissime potest mens mea respicere spatium præteriti temporis, & rerum, quæ unquam acciderunt, memoriam recordari ultimam, inde usque repetens, hunc video principem in eo genere extitisse, præcipue si menses proxime cum antegressi illi attexantur. Agnovit hoc Famianus Strada, unus ex eorum familia, qui soli a Jesu appellari nimis arroganter cupiunt. Is enim, cum haud procul ab initio Decadum suarum monuissest, hoc tempus continuato, si unquam, obitu, plurimis maximisque Principibus confatale fuisse, eorumque, sicut & minorum Dynastiarum continuata funerum solennia anni implevisse, fastos, tandem ingeniose ludens addit: plane ea tempestate mors demetendo, majorum gentium capita atque hominum apices superbum illum imitari, visa est summa olim papavera decutientem. (a) Eorum vero, qui docuerunt tum, se mortales natos, agmen ducebat quasi Carolus V. Imperator, qui tot condecoratus victoriis, ut Fortuna, quæ per omnem vitam præsto ipsi fuerat, vires in eo ormando consumissæ videretur, tandem nobilissimo de se ducto triumpho, cum posset, imperare desierat, seque, ut aliquid temporis inter inquieta vitae negotia & mortem interesset, ex aulae amplitudine in angustias secessus illius Hieronymiani receperat, ubi XI. Calend. Octobr. Anni M D LIX. post biennii solitudinem, altero ab exequiis, quas sibimet ipsi prælufurus proximæ morti instruxerat die, piam animam Deo reddidit, cum ætatem ultra LVIII annos protractisset, sorori Helionoræ, primum Emanuelli Lusitanæ, deinde Francisco I. Galliæ Regibus nuptæ, semestri spatio superstes. (b) Successit ei mente nondum exacto, XV. nempe Calend. Novembr. altera Soror, ei perdilecta, Maria Hungarica, inde ab anno illius seculi XXVI. quo Maritus ejus Ludovicus II. Pannoniae & Bohemiae Rex in prælio prope Mogatum commisso perierat, vidua, a Carolo deinde post Margaritæ Austriae obitum Belgio præfecta, a cuius gubernaculis eodem discensit tempore, quo Frater imperio sponte se exxit: scernina virilem gerens animum & a mollitiæ sexus sui longissime aliena. (c) Huic sociam se præbuit alia Maria, Britanniae Regina, XVII. (vel, ut vult Camdenus, XV.) Calend. Decembr. ex aqua intercute, qua venter ejus aliquandiu ita tumuit, ut gravida credereatur, qualem & ipsa se nimio prolis desiderio credebat, vel potius ex dolore ob Caletum amissum, mortua, & ne tum quidem a Card. Reginaldo Polo, cui mire favebat, divulsa, XVI horarum tantum spatio inter utriusque obitum

(a) de Bello Belg. Decade I. Lib. I. p. m. 17. (b) MASEN. Anna Hift. Lib. VII. cap. CXLVI. p. 205. F. STRADA I. c. p. 9. THVANVS Lib. XXI. p. 429. Edit. Francof. anni 1625. CHYTRÆUS Chron. Lib. XIX. p. 573 NATAL. COM. Hift. f. i. emp. Lib. XI. p. 256. CLVVERVS Epit. Hift. p. 679. GLADOV. Reichs. Hift. Lib. VII. S. 74 p. 262. (c) THVAM. I. c. p. 431. MASEN. Lib. VII. Cap. CXIX. p. 187.

tum intercedente. (d) Vix aperuerat se annus MDLIX. cum infasto o-
mine Christianus III. Danorum Rex, quinquagenario paulo major mortalitatem
expleret, testatus aliquot ante extremum diebus, oblatum sibi quem-
piam per quietem, omnium miseriarum finem ad Calend. Januarias pollici-
tum: & ne solushinc migaret, eodem mense patrue lis ipsius Christiernus II.
olim etiam Rex Daniæ, liberatus vinculis corporis, quæ LXXIX. & carceris,
quæ XXVII. annos gesserat, comitem se ei adjungere jussus est, hocque iter læ-
to de superatis vita ærumnis atque molestiis animo adiit. (e) Longe tri-
stiora fata manebarunt Henricum II. Galliarum Regem inter publica gaudia
& plausus populi, quibus Lutetia Parisiorum ob nuptias Isabellæ filiæ ejus
undecennis cum Philippo Hispano perfstrepebat. In hastiludio enim,
quod ostensurus dotes & vires suas indixerat, & jam ad tertiam produxerat
lucem, cum Mongommerio Comite ad cursum provocato, & repetitis saepe
jussibus adacto congressus, adversæ hastæ conto bucculam apertam per-
rumpente & per dextrum supercilium in caput penetrante, lethale vulnus
acepit, & nata inde in cerebro vomica, VII. Idum Quintil. qui erat a ludi-
cra illa, sed infelici, pugna undecimus, (pro quo quintum substituit Strada,)
spiritum emisit, cum vix annum ætatis XLI. delibasset. (f) Nec mensis Sex-
tilis vacavit funeribus, quippe quo Laurentius Priulus, Veneti Senatus
Princeps Hieronymum fratrem raro in illa Rep. exemplo successorem na-
ctus, dignitatem cum vita posuit, interjectoque biduo, XV. sc. Cal. Septembr.
Paulus IV. Pontifex Max. moriens populum Rom. rigoris nimii pertæsum
magno gaudio affectit. (g) V. deinde Non. Sept. Hercules II. Ferrariae Dux
LI. annos natus conceffit fato suo, felix ob id putandus, quod bello Gallico,
cui se, sponte lacefito Philippo, implicuerat, satis honesta ratione fuit expe-
ditus. (h) Præter hos Germania quoque non unum Principem erectum sibi
desiderabat: Desiderabat, inquam, Wilhelnum Ducem Hennebergensem,
IX. Cal. Febr. è vivis sublatum, cum ante octoginta annos iis interesse ce-
pisset. Dolebat Prid. Idum Febr. subtraditum sibi Ottонem Henricum,
Septemvirum Palatinum, cum quo Philippi, octo filiorum patris, posterita
exspiraverat, hæreditate ad Fridericum III. longo intervallo agnatum
transmisſa. Auxit dolorem Franciscus Otto, Dux Luneburgensis, qui re-
cens maritus, contracto ante tres menses cum Elisabetha Magdalena, Joachi-
mi II. Brandenburgici Filia, matrimonio, III. Calendas Majas torum cum
tumulo commutavit. (i) Incidit etiam in hunc annum mors Catharinae
Brunsvicensis, quam Magnus, Dux Saxonie, viduam reliquerat: (k) nec non
Bona Sfottiae, quæ Sigismundi Augusti, Sarmatarum Regis, mater fuit, &
cujus discessus è Polonia pariter & vita non potuit non filio gravis accidere,
cum bonorum ab ea relictorum partem à tenuissimo servulo, partem etiam
ab aliarum terrarum rectoribus interceptam videret. (l) Ita mors omnes
ferè Europæ aulas libero pede tunc pervagata est, & quas intactas reliquerat,
eas anno proxime inseculo pulsavit, quasdam repetitis quoque funeribus

affili-

(d) CAMDENVS in fine Appar. Annal. Angl. premiū CHYTR. I. c. p. 575. THVAN. sub fin. Libri XX. p. 416. NAT. COM. d. I.
(e) THVAN. Lib. XXII. p. 437. CHYTR. I. c. CLVVER. p. 681. (f) JO. de BVSSIERES Hiltor. Frane. Lib. XIX. cap. 20.
p. 299. edit. Colom. THVAN. I. c. p. 454. STRADA p. 16. CHYTR. p. 575. (g) CLVVER. I. c. Priuilo Julium. Paulo v.
IV. Octobrem affignat, conf. THVAN. Lib. XXIII. p. 470. seq. & NAT. COM. p. 269. (h) THVAN. p. 471. CHYTR. A-
VSL. c. III. Octobrem diem emortualen facit. (i) THVAN. I. c. CHYTR. p. 576. (k) CHYTR. I. c. consulatur etiam Chro-
mion. Gaufridi. p. VII. p. 847. (l) PASTORIVS ab HIRTENB. Flor. Polon. Lib. III. p. 245. q. NAT. COM. LIB. IX. p.
196. HVBN. Quaest. Hist. p. IV. p. 550.

affligens, Gustavo, Svecorum, & Francisco, Galliarum Regibus, Isabella Pannoniæ Regina, Maria Scotiam Regente, Philippo Pomeraniæ Duce, Alberto Mansfeldensi Comite aliisque ab hac mortalis vitæ statione evocatis, plane ut vastitatem principum familiis minari videretur. Facile quilibet causam perspicere poterit, qua adductus hoc potissimum argumentum nunc paucis pertractandum delegerim. Annum agimus non minus nobis tristem & atro ob id carbone notandum, quod complures principali fastigio eminentes tumulavit, qui, licet eorum non æquum numerum, quos ille abstulit, de quo egimus, multorum tamen instar esse potuerunt. Nullius vero obitu vehementius percussi sumus, quam Augustæ Nostræ,

CHRISTIANÆ EBERHARDINÆ, Patriæ Matris, dum rebus humanis interesset, Indulgentissimæ, cuius scil. jaætura propius ad nos pertinebat. Certe, quas illa provocavit, lacrimæ nondum exaruerunt. Fluunt, fluunt adhuc, & fluent per omnem vitam, quoties ejus recurret memoria, quæ recens nobis erit semper, & cum omni posteritate adæquabitur. Nullus ordo est, qui mortem tam pie, tam beneficæ Principis æquo animo ferre poscit. Luget Aula, moeret Resp. omnes civitates senio confectæ sunt: squallent tempa, afflictant Academiæ & Scholæ, agri denique ipsi tam ingens bonum nunc eheu! amissum acerbo luctu prosequuntur. Quis igitur Musis Annæbergenfibus vitio vertat, quod moeroris sui argumenta prodant publicè, nullis questibus omisis, quos in tali casu dolor non facile leniendus suggerit? Faciunt quod æquum & pium est. Sed testes etiam luctus sui requirunt, Vosque, **INSPECTORES SCHOLÆ GRAVISSIMI**, Vos item omnes, qui **REGINAM** nobiscum comploratis, & conatibus nostris favetis, me interprete, rogant atque obsecrant, ut crastina luce post sacra publica peracta in Acroaterium superius frequentes conveniatis, audituri benevole

LVDOVICVM FRIDERICVM RICHTERVM, Annæbergenf. Principum Funera, quæ vidit hic annus, nec non alios casus lugendos intra ejus spatum à Deo terris immisso recensentem, Orat. Germ. prof.

JOH. SIGISMUNDVM BRUCKNERVM, Grunhaynenf. **REGINÆ** vita nuper functæ Laudes & Merita enarrantem justo Panegyrico, Latinis verbis liberis concepto.

XII. Deinde secundi ordinis Discipulos, Job. nempe **Gottlieb Kuhnium**, Cadicensem, **Christianum Vilbelnum de Nitzschwitz**, Adelsdorff. Equitem Misn., Bernb. **Johannem Heubelium**, Norimbergens. Jo. **Christoph. Pflugbeilum**, Mauersbergenf. Jo. **Christoph. Niemerum**, Wiesens. **Christianum Gottlob Hennigium**, Annæbergenf. **Gothelff Augustum Richterum**, Altenbergens. Aug. **Frider. Zocherum**, Freybergens. Job. **Daniel Heydum**, Zottovicens. Jo. **Aug. Hubermannum**, Jo. **Carol. Gutmannum** & Job. **Ferdinandum Scheureckium**, Annæbergenfes, communes piorum Saxonum de REGINA sibi erpta querelas, easque non fictas, versibus Lat. heroicis, quibus invicem colloquentur, profrentes. Et tandem

CHRISTIAN. COTTLIEB VIERTELIVM, Schwartzenb. Solatia quædam, quibus erigi queat Patria vehementer afflita, indicantem, Carm. Germ.

Omnes e prompta memoria dicturi dabunt operam, ne temporis ipsis locati Vos pœnitentiat. Perscr. in Lyceo Annæb. Prid. Non. Novembr. clo. 15 cc xxvii.

b.8, 10.

Hn
746

AD ACTVM ORATORIVM,
MVSÆ ANNÆ BERGENSES
INDVLGENTISSIMÆ QVONDAM
PATRIÆ MATRI
CHRISTIANÆ
EBERHARDINÆ,

Æ POLONIARVM
LECTRICI SAXONIAE
RELIQVA
TEMBRIBVS HVJVS ANNI EHEV!
DEFVNCTÆ
JVSTA PERSOLVENT,

TORES SCHOLÆ
GRAVISSIMOS

ET
INOSTRÆ SCHOLASTICÆ
BENE CVPIENTES


HÆC PAVCVLA
TEMPORE EIDEM PROXIMO OB CONTINVATA PRINCIPVM
ET FOEMINARVM FVNERA MEMORABILI

PRÆFATVS

EST OBSERVANTIA ET HUMANITATE
INVITAT.

FRIEDLIEB STVBELIUS,
RECTOR.

ANNÆ BERGÆ,
IS AVGVTI VALENTINI FRISI



Farbkarte #13

Centimeters	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Incies	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Blue																				
Cyan																				
Green																				
Yellow																				
Red																				
Magenta																				
White																				
3/Color																				
Black																				